



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari provenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

XXVI. De potestate Prælatorum religionis circa honorem temporalium
administrationem, ex primaeva institutione à iure antiquo permissam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

Apostolico. Item licet sit excommunicatus à suo Generali, vel Provinciali, poterit absolui à Guardiano, vel Priore. Quæ omnia videntur absurda, quia sunt contra debitum ordinem, & regimen, & in iniuriam iudicis ferentis sententiam. Sequela autem patet, quia verba illa, *quomodolibet ab homine*, tã generalia sunt, ut omnia hæc comprehendant. Imò in illo privilegio additur exceptio, nisi casus sint adeo graues, & enormes, ut merito censetur Sedes Apostolica consulenda, & declaratur huiusmodi esse solum illa quatuor à Sixto IV. excepta supra cap. 21. num. 1. allata: ergo hæc exceptio firmat regulam quoad omnes alias sententias à iure, vel ab homine quomodolibet latis: ergo comprehenduntur omnes casus supra numerati. Quin potius nisi illi comprehenderentur, non posset hæc facultas exerceri circa religiosos quoad sententias particulares in eos latis postquam religiosi sunt. Consequens est absurdum: ergo. consequentia patet, quia in illo statu iam constituti excommunicari non possunt, nisi vel à suis praelatis, vel ex speciali commissione, & potestate Apostolica. Minor probatur. quia licet in fauorem religionis concedatur hoc privilegium pro his, qui volunt ingredi, non tamen pro solis illis, sed maximè pro iam professis, seu religioni per vota coniunctis, imò ad eos principaliter dirigitur privilegium, ut ex eius tenore constet, & in eo expressè additur, ut absolui possint ab omnibus ante, vel post ingressum religionis in Societate commissis: ergo etiam à sententiis in eos latis quomodolibet ab homine, etiam postquam religiosi sunt.

VII.

Respondendo igitur concedendo sequelam quoad eam partem de censura lata à iudice, vel praelato aliquo extra religionem, quia privilegium ad hæc omnia extenditur, & ex vi alterius privilegij Benedictinis concessi possunt Superiores etiam Locales Societatis iuxta compendium in verbo *Absolutio* §. 10. absolueri subditos à quibuscunque sententiis & peccatis, etiam si talia forent: propter quæ Sedes Apostolica esse consulenda. Additur autem ibi, *ut id fiat præmissa ex parte subditorum debita satisfactione*. Ad hanc autem satisfactionem pertinere existimo, ut quando specialis sententia ab homine præcessit, ut non solum parti læsæ, si qua fuerit, sed etiam Ecclesiæ, id est, iudici (iuxta modum loquendi Evangelij) nam per contumaciam specialem illi facta est specialis iniuria. Oportet ergo ut ante omnia absolvendus à contumacia recedat: deinde, ut satisfactionem exhibeat, vel offerat, aut promittat, prout potuerit, & tandè ut iudicem, à quo excommunicatus est, saltem reddat certum de obedientia sibi, & Ecclesiæ reddita, & absolutione obtenta: ita enim vitantur incommoda, quæ ex dicto privilegio sequi posse videbantur. Et hæc est sufficiens ratio huius interpretationis, quia privilegium ita debet sortiri suum effectum, ut in reliquis omnibus quam minimum lædat aliorum iura, & præsertim ea, quæ ad conuenientem gubernationem pertinent.

VIII.

Ad alteram verò partem, quæ spectat ad sententias maiorum praelatorum eiusdem religionis, dicendum est, in eis esse hoc speciale quod Superiores possunt sibi casus, vel sententias referuare: & inferiorum praelatorum iurisdictionem restringere, non obstantibus privilegiis, ut dictum est. Si ergo superior praelatus hoc modo tulerit sententiam, vel ex Constitutionibus, aut ex consuetudine religionis constituit, hanc restrictionem, seu referuationem esse factam, tunc neganda est sequela, quia quoad hanc partem habet inferior praelatus restrictam, vel non sibi communicatam huius privilegij facultatē. Si autem talis restrictio, vel referuatio non est facta, concedenda est sequela eodem modo, quo in superiori parte dictum est. Et fortasse hæc est inten-

tio superioris praelati non restringentis iurisdictionem inferioris, ut subditus statim ac fuerit bene dispositus, & satisfactionem obtulerit, sine dilatione possit absolui.

CAPVT XXVI.

De potestate praelatorum religionis circa bonorum temporalium administrationem ex prima institutione, à iure antiquo permixtam.

PRæter potestates circa personas, necesse est ut praelatus religionis habeat potestatem circa bona temporalia eiusdem religionis, quia non potest religio omnino carere his bonis temporalibus vel quoad proprietatem, possessionem, & usum, vel saltem quoad simplicem retentionem, & usum, iuxta inuicemque modum: quomodocumque autem habeantur, necesse est ut eorum administratio & cura ad aliquem pertineat. Non potest autem pertinere ad singulos, tum quia per se repugnat ordini, & conservationi rei, tum etiam, quia potius per votum paupertatis simul impeditur, ne propria voluntate, & arbitrio possint de temporalibus bonis disponere, ut supra tractatum est. Quamuis autem hæc potestas in tota communitate, ut sic, esse possit, tamen non potest communis per se ipsam immediatè exercere omnia, quæ ad hanc administrationem pertinent, & ideo necesse est, ut hæc potestas vel omnino, vel magna ex parte praelato commissa sit. Explicandum ergo à nobis est quantum potestas in hoc genere commissum sit praelatis religionis, & ad quos actus, & cum quibus conditionibus extendatur. Quia verò hæc concessio potestatis aliquo iure constare debet, triplex ius hic distinguere possumus, scilicet naturale, commune, seu canonicum, & speciale ex privilegiis seu ordinationibus Pontificum circa singulas religiones. Primò breuiter expediemus, quia fere ad usum non deseruit. Tertium autem latissimè patet, & fere non cadit sub generali doctrinam; sed vnaquæque religio sua debet scire statuta, & privilegia: & ideo solum obiter & gratia exempli aliquod particulare institutum indicabimus. Dicemus ergo præcipuè de potestate, quam ad hanc administrationem habet praelatus religionis iure communi. Et quamuis hæc potestas de facto amplior videatur esse in vniuersalioribus praelatis, quia tamè iura canonica, ut supra notauimus, frequentius loquuntur de Abbatibus, quibus respondent omnes praelati Conuentuales, ideo potestatem hanc in eis explicabimus, unde facili collabit quid de cæteris dicendum sit. Tandem quia actiones huius administrationis variz sunt, omnes possumus ad tria capita reuocare, quæ sunt recipere, conseruare, & alienare. Sub prima comprehendimus omnem acquisitionem bonorum, quæ religioni fit: sub secunda omnem actionem, quæ pertinet ad gubernationem, beneficentiam, augmentum, custodiam, & usum talium bonorum: ad tertiam pertinet omnis consumptio, distractio, seu alienatio, imò etiam omnis vlus talium bonorum.

Primò ergo dicendum est, iuxta primariam institutionem religionum, quam ius antiquum admittit, totam administrationem bonorum monasterij esse seu fuisse apud solum Abbatem. Colligitur ex c. nullam 18. q. 2. ubi Pelagius Papa inquit, *Inter sa, quæ vel ad diuini cultus reuerentiam, vel ad utilitatem monasterij pertinent, Abbat in sollicitudo, ad quem potestas pertinet conferre, debeat adimplere*. Hoc autem ius, quantum ex verbis eius colligitur, non constitutum, sed declaratum fuit, non enim de nouo statu-

Præsumptum
est, si
præsumptum
est, si
præsumptum
est, si

Præsumptum
est, si
præsumptum
est, si

Præsumptum
est, si
præsumptum
est, si

Præsumptum
est, si
præsumptum
est, si

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tuit, sed pro constanti supponit totam potestatem esse apud Abbatem. Est ergo aduertendum, ex vi status religionis, & secluso omni iure politico Ecclesiastico, fieri potuisse, & antiquitus ita factum esse, ut hæc potestas tota in solo prælato existeret. Dico, fieri potuisse, quia hoc semper dependet ex voluntate, & consensu totius communitatis. Si enim ex sola rei natura loquamur ex vi institutionis religiose congregationis, in qua singula personæ paupertatem proficiuntur, potestas administrandi quæcunque bona, immediate est in ipsa communitate, quia illa est domina, vel usufructaria per se primò. Item, quia ex natura rei non est maior ratio de vno membro illius communitatis, quam de alio. Præterea quia, cum omnes habeant votum paupertatis, nullus potest proprio nomine uti huiusmodi bonis: ergo oportet, ut facultas, in quocunque particulari sit, deriuetur ab alio; non potest autem resolutio ultima fieri nisi ad totam communitatem ut sic, quia in nulla particulari persona sistere possumus intra communitatem ipsam, non oportet autem extra illam progredi, ut scilicet potestas illa maneat ab Episcopo, vel Pontifice, nam ex natura rei hoc necessarium non est, nam vnaquæque communitas habet ius proprium administrandi sua bona, quo non priuatur communitas religiosa eo quod religio sit, quia non repugnat voto paupertatis singulorum, nisi hoc etiam voluntarie proferatur: pendet ergo hoc ex voluntate eorum, qui ad instituendam, vel inchoandam talem communitatem primò conuenerunt: nam illi possunt inter se statuere, & quasi pacifice ut tota administratio temporalium rerum sit apud solum prælatum: ergo ita fieri potuit in initio religionum, semel autem facta, & approbata institutione, qui cum potestas proficeretur, consequenter præberent suum assensum, & quantum in ipsis esset, idem ius in prælato transferrent. Confirmatur, ac declaratur, nam hæc potestas administrandi bona temporalia nec est iurisdictionis, nec per se requirit illam, sed est potestas dominatiua, sub hac comprehendendo potestatem ministerialem à domino commissam: ergo talis potestas respectu communitatis religionis, per se, & ex natura rei, ac secluso iure politico, non pendet à concessione Pontificis, vel alterius prælati Ecclesiastici, sed ex voluntate eorum, qui in tali communitate sociantur: ergo per eandem voluntatem fieri poterit, ut in solum prælatum ea potestas transferretur.

III. Quod autem ita in initio religiosum factum sit, intelligi potest ex antiquis institutoribus religionum, & Regulis eorum, Basilij in regula 7. & 8. ex fuis disputatis, & ferm. 2. de Instit. monachor. & sepe alijs docet, totam hanc curam debere esse apud Antistitem, & ita interpretatur exemplum primitiue Ecclesiæ, quando omnia erant communia, & singulis diuidebantur prout unicuique opus erat. Et de eadem re videri possunt in regulis benedicti- bus 57. 100. & 101. & 302. Similiter Augustinus in Regula statim in principio, Non dicatis aliquid proprium, sed sunt vobis omnia communia, & distribuantur unicuique prout vobis visum fuerit, &c. & infra præcipit, ut nihil occulte accipiat, sed sit in potestate Præpositi. Cæsarius etiam lib. 4. de Institutis renunciant. c. 13. & 14. idem de antiquis monachis refert, de quo etiam legi potest c. 20. & sequentibus, in quibus plane supponit, totam hanc curam penes Abbatem fuisse, & idem sumitur ex toto lib. 7. Idem constat ex Regula S. Benedicti, c. 32. & 33. & 54. & 57. in quibus locis, & alijs supponit, totam hanc potestatem esse apud Abbatem, quod generaliter declarat c. 67. Idem habetur in Regula S. Pachomij cap. 18. & 19. & regula 40. Denique reduci hoc posset ad primam congregationem religiosam, quæ in Ecclesia fuit, nimirum Collegium Apostolicum, in quo ita erant

omnia communia, ut eorum dispensatio & administratio præcipue ad Christum Dominum pertineret: Vnde cum Ioannis 13. Christus Iudæ dixisset, Quod facis fac istius, discipuli existimauerunt, quia loculos habebat Iudæ, quod dixisset ei Iesus: Ene ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret. Ratio vero huius institutionis reddi potest, quia, ut in principio num. 1. dicebamus, necessarium fuit hanc potestatem alicui committere, quia non poterat per totam communitatem administrari: ergo maximè debuit committi prælato, ut debitus ordo, & perfecta obedientia in omnibus seruaretur. Et quamuis possit non soli prælato, sed cum consilio, & consensu paucorum hæc potestas committi: non tamen legitur ita olim esse factum, sed potestatem fuisse soli prælato commissam, quamuis ad prudentiam, & obligationem eius pertineret uti consilio aliorum iuxta rerum qualitatem. Ratio autem esse potuit, quia vel monarchia etiam quoad hanc partem tanquam perfectior gubernatio electa est, vel quia hoc iudicatum est pertinere ad maiorem sui, & rerum omnium abnegationem, & obedientiam ac paupertatis professionem. Iuuare etiam potuit, quia monachorum bona parua tunc indigebant administratione, & Abbates veri Patres erant, & aliorum utilitati, non suæ consulebant.

Ob has ergo, & alias causas talis fuit olim religionum institutio quoad hanc partem, eamque iure communi antiquo Pontifices approbarunt, ut docet Panormitanus, & communis sententia in c. edoceri. de re scriptis. & in c. ad apostolicam. de Regul. & Nauarr. Commen. 3. de Regularib. num. 5. & 6. &c. sufficienter probatur ex dicto c. nullam. & ex dicto c. ad apostolicam. & ex c. cum ad non esset, de statu monachorum, iuncta glossa ibi verbo, Amoueri. & c. 2. eiusdem tit. ibi, Nisi ab Abbate fuerit ei pro iuncta administratione permisso. Item ex c. edoceri. de re scriptis, ibi, Cum ex officio suo renunciant (scilicet Abbates) congregationis sua negotia procurare. Additur autem statim, Nisi abbatum, & conuentus negotia essent omnino sfœcia, ubi Panor. n. 2. aduertit, hoc non esse secundum ius commune, nam ex hoc iure omnia debent esse communia in statu regulari quoad dominium, & pertinere ad Abbatem quoad administrationem. Ratio autem huius communis iuris fuisse videtur, quia in eo Pontifices non tam condiderunt nouum ius quantum ad monachos spectat, quam approbare, & confirmare quod ex vi suæ professionis institutum erat.

IV.

Hanc in so-
lunt admi-
nistrati-
one
ius commu-
ne approba-
uit.

De potestate acquirendi.

Sed quæres, ad quos actus ex tribus allatis in fine n. 1. extendatur ex vi iuris antiqui hæc potestas prælati. Respondetur, nullam in hoc inueniri limitationem in iure scriptam, præter eam, quæ in dict. c. nullam, significatur per illa verba, F. delicti & studij, &c. quæ vel ad ædificum cultus reuerentiam, vel ad utilitatem eiusdem mon. sterij pertinent. Per quæ verba nihil speciale additum est, sed explicatur solum quod ex natura rei necessarium est. Itaque ex tribus illis actibus, quos supra numerauimus, in primo, scilicet acquirendi monasterio, nulla limitatio ponitur, sed tota auctoritas est penes Abbatem, supponendum est enim, acquisitionem esse iustam, & decentem religioso statui: talis enim acquisitio ex se cedit in utilitatem monasterij, & ad cultum Dei ex se refertur, & ideo absolute, & simpliciter comprehenditur sub prædictis verbis, & pertinet ad dictam potestatem. Vnde ratione illius potest prælatus recipere quicquid monasterio oblatum fuerit, & quod sibi fuerit donatum, quamuis non sibi, sed monasterio acquirat. Item, cum illius facultate alij possunt acquirere monasterio, quamuis non sibi, sine illa autem

V.

autem nec sibi, nec monasterio. Et ideo quoad hunc actum rectè additum est in illo textu, *Ad utilitatem eiusdem monasterij*, quia hæc potestas non extenditur ad acquirendum alicui personæ priuatæ, sed soli monasterio, cum alia acquisitio paupertati repugnet.

VI.
An Abbas
vnius mona-
sterij possit
acquirere
alicui mo-
nasterio.

Sed ponderanda est particula, *eiusdem*; quia vnus Abbas non potest acquirere alteri monasterio, sed solum illi, cuius administratio illi commissa est; quia in alia monasteria nullam habet potestatem. Inquireret verò aliquis, quomodo posset vnus Abbas acquirere suæ religioni pro alio monasterio, quando vnusquisque Abbas erat supremus, & non habebat vnum prælatum generalem, neque etiam Capitulum generale celebrabant, cuius consensu, & potestate posset talis acquisitio fieri. Respondetur, in eo casu nullum Abbatem vnius monasterij potuisse ex vi sui muneris acquirere alteri monasterio, vel (ut ita dicam) potuisse acquirere aliud monasterium, & bona eius suæ religioni, cum eius prælatio non extenderetur extra suum monasterium. Potuisse nihilominus facultatem concedere aliquibus ex suis subditis, ut in alio loco nouum monasterium erigerent, cuius acquisitio, & acceptatio ab eisdem non ut singulis sed ut vniuersis, id est, ut constitutibus nouum Capitulum, fierent, & tunc ad illos etiam pertinere proprium eligere Abbatem, ad quæ administratio bonorum noui monasterij pertineret. Adde insuper, monachos tunc fuisse Episcopis subiectos, quorum auctoritate, & consensu respectu monasteria erigebantur, & ita accedente consensu Episcopi diocesis, in qua monasterium erigendum erat, & concurrente nouo Capitulo religiosorum illuc conuenientium de licentia sui Abbatis, vel suorum Abbatum, facile poterat noua acquisitio fieri tali religioni.

De potestate conseruandi.

VII.

Quoad secundum actum, qui est conseruatio bonorum, nulla etiam necessaria est limitatio, præter eam, quam citata verba præ se ferunt, habet enim prælati totam potestatem, quæ ad debitam conseruationem, & gubernationem talium bonorum necessaria est, nõ minus quam si essent sua propria, quia & ad bonum regimen hoc necessarium est, alioqui communia bona facile perirent: tum etiam, quia hæc est intentio domini talium bonorum, id est, conuentus, à quo, ut diximus, manauit hæc potestas. Vnde etiam fit, ut iuxta mensuram potestatis sit etiam mensura obligationis quoad hanc curam, & sollicitudinem ita fideliter administrandi talia bona, ut ad maius Dei obsequium, maioremque monasterij vtilitatem cõseruentur. Vnde quia per se non potest totam curam immediatè exercere, ad eandem potestatem spectat posse officiales, & ministros creare, per quos hanc temporalem curam exequantur, quibus etiam obligationem res fideliter administrandi, & conseruandi imponant, quæ obligatio tantæ æstimationis erat inter antiquos Patres, ut delictum reputarent tres lenticulæ manibus per nonnullam incuriam elabi, ut est apud Cassianum lib. 4. Instit. c. 20. Cuius (inquit) negligentia reatus non aliter et remissus est, nisi eum publica penitentia diluisset. Et rationem declarans subdit, Non solum enim suspens non esse suos, sed etiam omnia, quæ sua sunt, credidit Domino consecrata. Propter quod si quid fuerit monasterio illatum, vi sacrosanctum cum omni decernunt reuerentia debere et actari; tantæque fide vnueris procurant, atque dispensant, ut etiam ea, quæ despectibus habentur, paruaque reputantur, ac vilia, siue loco monerint, vel competentius collocauerint, si senem iustitiam de oratorio, cellaue submouerint, mercedem se consequuntur à Domino tota credulitate confidant. Ex quibus verbis intelligi potest, curam

hanc conseruandi bona monasterij ad omnes, & singulos religiosos pertinere; sed diuerso modo: nõ ad omnes pertinet conseruatio quasi per accidens, per obligationem (ut sic dicam) negatiuam nõ dissipandi, aut non malè tractandi res monasterij; quæ obligatio & ad paupertatem, & interdum ad iustitiam pertinere poterit. Positiua autem cura conseruandi res, per se non spectat ad singulos, nisi quatenus charitas interdum eam dicere potest: spectat ergo ex officio, & iustitia ad prælatum, cui est primario commissa dicta potestas; per participationem verò ad ministros quos ipsi sibi constituerint. Denique etiam pertinet ad prælatum strictiori modo conseruatio rerum per negatiuam obligationem non consumendi, vel alienandi res nisi iuxta mensuram statim explicandam.

De potestate alienandi, ac primo quoad mobilia.

Tertius ergo actus, & præcipuus huius potestatis est alienatio talium bonorum; sub qua voce comprehendimus omnem vsum, quo talia bona consumuntur. Hic ergo actus etiam est commissus ex vi muneris iuris antiqui prælati monasterij sine vlla limitatione, præter eam, quam ius naturæ postulat, neminem ut talis dispensatio sit fideli, & in monasterij vtilitatem. Ut autem hoc magis in particulari explicetur, distinguere possumus bona monasterij in immobilia, & mobilia; de quibus terminis diximus lib. 4. Defensionis fidei c. 18. & mobilia rursum in ea, quæ permanentem habent durationem cum ipso vsu, ut sunt vestes, libri, & similia; & in ea, quæ vsu consumuntur; quæ duplicia etiam distingui possumus: quædam, quæ pertinent immediatè ad conseruationem vite, ut sunt esculenta, & poculenta; quædam, quæ mediata, ut pecunia. Ab hac ergo vltima incipiendo, duplicem habet vsum, (quantum ad præsens spectat) quo potest consumi, nimirum aut emendo latè hac voce vtendo, ut explicauimus gratiosè donando; & vterque est suo modo in potestate prælati religiosi, quatenus vterque vel necessarius, vel vtilis, vel decens monasterio, aut religioni eius (inter quos prælati ipse præcipue cõputatur) esse potest, & ideo necessariò debet potestas prælati ad hunc vsum extendi. Est tamen differentia inter illos duos vsus, quod prior licet sit consumptio pecuniæ, non tamen est consumptio bonorum, sed cõmutatio, quia loco pecuniæ succedit illud, quod per illam emitur, quodque ad vsum humane vite necessarium est, & ideo in eo vsu maior facultas conceditur.

Nam extenditur in primis ad ea omnia, quæ ad diuinum cultum necessaria, vel decencia prudenter iudicata fuerint, seruata proportione ad monasterij facultates, & ad modum ac institutum religionis; quod & per se satis est consentaneum rationi, & sufficienter fundatur in illo verbo dicti c. nulli. *Ad diuinum cultum reuerentiam*; sub quo verbo, ut rectè notauit Nau. comprehenduntur omnes sumptus fabricæ, & ornamentorum Ecclesiæ; addo etiam ministrorum secularium, si qui fortè ad seruitutem Ecclesiæ necessarij sunt: nam hæc omnia pertinent ad reuerentiam diuinum cultus, & hos omnes sumptus nomine *emptiois* comprehendimus. Deinde extenditur ad ea omnia, quæ ad religiosos sustentandos, & conuenienter, & decenter, iuxta suum statum fuerint opportuna: quia ad hunc finem maxime talia bona deputata sunt, & sub his sumptibus comprehenduntur omnia, quæ pertinent ad fabricam monasterij, & ad suppellectilia eius, tam continuatiua, quam singulis necessaria, tam quoad corporis sustentationem, ut sunt ea, quæ ad delectum, & vstitum spectant, quam ad alia ministeria iuxta institutum religionis conuenientia, ut sunt libri, & similia.

sub citatis verbis c. nullam. Et ad hæc capita videtur reuocari omnis erogatio pecunie, quæ à prælato religioso fieri potest; mensura autem, & modus in qualibet earum regula prudentiæ præscribenda sunt, quia nulla alia vel iure taxata est, vel generali ratione definitur potest: considerandus ergo est finis largitionis, & potestas monasterij, ut seruata proportionem, & respectu ad utrumque, medium in largitione seruetur.

XV.
De motu
proprio
Clem. VIII.
contra lar-
gitiones.

Hic autem occurrebat specialis difficultas orta ex speciali motu proprio Clementis VIII. quem latè explicat Sancius lib. 6. de matr. disput. 4. n. 7. & adducit Azor tom. 1. lib. 12. c. 9. q. 5. quo largitiones religiosorum prohibentur. Sed præterquam quod nunc loquimur stando præse in antiquo iure cōmuni, non credimus ibi esse prohibitas largitiones, quæ & nomine communitatis, seu, quod perinde est, per potestatem ab illa acceptam, & honestissimis titulis à nobis explicatis, & cum debita moderatione fiunt: quod facili ex ipso motu proprio cōstabit, & per se est verisimile, quia hæc omnia & valde decentia sunt, & religioso statui necessaria, ut rationes factæ ostendunt. addo etiam non videri eum motum satis vsu receptum saltem in hoc Lusitanæ Regno.

XVI.
De usu alio-
rum mobi-
lium qui est
eorum con-
sumptio.

Duplex con-
sumptio, &
utraq; sita
prælato

Ex his facili intelligi potest quid possit prælatus circa alienationem, vel consumptionem aliorum bonorum, quæ ipso vsu consumuntur: nam de his eadem proportionalis ratio est, quæ de pecuniis, imò interdum sub pecunia comprehenduntur, quatenus & pecunia æstimantur, & quoad multa eundem habent vsu. Dupliciter ergo possunt hæc res consumi, aut alienari: primò simpliciter, id est, per puram amissionem seu consumptionem earum, vel per aliquam permutationem, sub hac voce comprehendendo venditionem, & quemcumque alium contractum, per quem ita hæc res alienantur, ut loco illarum alia monasterio acquirantur. Vterque ergo modus dispensationis cadit sub potestate prælati, & consequenter ab illius voluntate pendet eisdem rationibus, & cum eisdem regulis, & moderationibus, quibus de pecunia id explicauimus. Et ob easdem etiam causas uterque modus cadit sub obligationem prælati, sed prior frequentior est, & magis necessarius, quia immediate ordinatur vel ad religiosorum sustentationem, vel ad sacra ministeria, & cultum Dei. Posterior autem per se necessarius non est, sed tunc solum, quando vel ad conseruationem bonorum monasterij, vel conuenientem eorum administrationem, fuerit necessaria. Interdum etiam est opportuna talis alienatio ad religiosos sustentandos dum quidam fructus venduntur, vel pro aliis necessariis commutatur, aut immediate, & vnico contractu, vel mediata pecunia, & duplici contractu ex pretio vnus rei venditur, aliam emendo. Hoc enim modo contractus huiusmodi efficere non est alieni à statu religioso, sed vsitatum etiam ab antiquis monachis, qui etiam propria opera suis manibus, & arte facta ad se sustentandos vendere solebant, ut in superioribus retulimus: sola enim emptio, & venditio per modum negotiationis ad temporale lucrum, & religiosi prohibita est.

XVII.
De aliis mo-
bilibus qua
in vsu diu
permanent.

Præterea de aliis bonis mobilibus, quæ in vsu diu permanent, licet paulatim conterantur, & tandem consumantur, eadem ferè regula seruanda est; nam etiam est apud prælatum potestas alienandi illa, quia hæc actio interdum esse potest vtilis, vel necessaria monasterio: ergo oportet ut potestas circa illam alicui demandata sit: ergo est in prælato, cui est tota potestas commissa. Limitatio autem huius potestatis eadem est quoad illa duo principia in dicto textu insinuata, quia non ut dominus, sed ut dispensator potest prælatus alienare hæc bona, vel

ad maiorem cultum, & reuerentiam supremi domini, vel ad proprii monasterij vtilitatem. Vnde fit, ut ex illis duobus modis alienandi vel simpliciter donando, aut consumendo, vel pro pecunia seu alia re, commutando, prior rarius liceat prælato, & cum magna moderatione, in rebus paræ æstimationis, & superuacaneis monasterio, quanquam in hoc etiam non possumus aliam regulam nisi prudentiam assignare, quia nulla certa quantitas absolute limitata est; regulis ergo superius positæ & cum proportionem applicatis vtendum est. Posterior autem alienandi modus sæpius potest esse conueniens, quanquam etiam debeat rarius in his bonis, quàm in fructibus, qui vsu consumuntur, quia quod res ipsæ maiorem habent stabilitatem, eo etiam eorum dominium, vel professio maiorem firmitatem postulare videtur: tum etiam, quia hæc res ex suo genere solent esse gratiosiores, & habere meliorem vsum in vno indiuiduo, quàm in alio: ac denique veditio, vel commutatio talium rerum raro solet esse vtilis monasterio, nisi in aliqua graui necessitate, vel nisi in alias vtiliores commutetur.

De potestate alienandi immobilia.

Hinc tandem immobilium alienatio ex suo genere difficilior est, quia talia bona solent esse quæ fundamenta monasterij in his, quæ ad vsum & conseruationem corporum pertinent, sine quibus spiritalia non possunt subsistere. Vnde fit, ut nunquàm fuerit in potestate prælatorum talia bona ita distrahere, ut monasterium omnino illis priueretur sine æquali, vel meliori compensatione, quia hæc non esset administratio, sed dissipatio bonorum, prælato autem tantum data est potestas administrandi, non in destructionem, sed in edificationem (ut verba Pauli 2. Corinth. 13. vsurpem.) Nihilominus tamen non omnino caret prælatus ex vius communis, potestate alienandi hæc bona, quia si alienatio sit in vtilitatem, etiam continetur sub regula in dicto cap. nullam, quia verba generalia sunt, & nullo alio iure antiquo sit illa exceptio; nec ratio cogit ad illam admittendam, quin potius, si superius factæ pro licitis alienationibus mobilium, conuenienter applicentur, etiam ostendunt huius facultatis necessitatem, supposita monarchia antiquæ monasteriorum. Quod erit euidentius si nomen alienationis aliquantulum extendamus: in rigore enim significatione importat venditionem, donationem, vel quamcumque aliam similem actionem, per quam dominium rei in alium transferretur: latius autem solet extendi illa vox ad locationem, vel conductionem, & alios similes contractus, per quos vsus, vel vsum fructus rei, vel dominium vtile eius perpetuo, vel ad aliquod certum tempus sub aliquo onere, seu pensionem alienatur, iuxta ea, quæ statim dicemus, & constat ex c. nullam. de rebus Eccles. non alien. & l. vlt. C. de rebus alienis non alienandis, & Auth. de non alienandis. §. n. sigitur. verfic. Aliantimus. coilat. 2. Manifestum autem est in monasteriis habentibus bona immobilia necessarium sepe esse huiusmodi contractus facere: ergo necesse fuit potestatem administrandi prælato concessam ad huiusmodi actiones extendi, sub limitatione posita in dicto c. nullam. nam in his bonis est maxime necessaria.

Neque inuenio in antiquis historiis limitationem aliam prælato regulari impositam in vsu huiusmodi administrationis quoad alienationes talium bonorum, præter illam generalem, quæ ex natura rei, etiam est per se conueniens, ut grauiora negotia sine prudentum consilio non transigantur, hæc enim alienatio rerum immobilium inter res graues monasterij merito computatur, & ideo comprehenditur sub

sub dicta regula, quæ à S. Benedicto, cap. 3. & ab alijs exprimitur. Quantum autem, & quale futurum esset illud consilium, non fuit fortasse eodem modo ab omnibus constitutum, sed vnaquæque religio suam consuetudinem, vel regulam seruabat. Nec etiam inuenio in antiquo iure canonico ante Leonem X. peculiarem modum, aut formam circa hoc præscriptam. In iure autem ciuili inueniuntur quedam leges Imperatorum prohibentes alienationes talium bonorum, vt patet in l. *inuenimus*. 2. C. de sacros. Eccles. cum sequentibus, & Authenticis, quæ ibi referuntur ex collatione 2. tit. de non alienan. & collat. 9. tit. de alienat. & emphyt. Sed illæ leges, cū essent ciuiles, non poterant directe ligare personas ecclesiasticas, nisi quatenus per Ecclesiæ Pontifices admittebantur, licet quoad forum externum & ciuile, & quoad personas laicas, vendentes, & ementes talia bona, possent habere aliquos effectus. Sed circa illas leges nunc immorari non oportet, quia in hoc standum est iuri Canonico, quod iam sequenti c. explicauimus.

prælati res immobiles vel pretiosas Ecclesiæ alienare, tamen omnia intelliguntur de alienatione contraria diuino cultui, vel vtilitati Ecclesiæ, & ideo semper intelliguntur excepti casus, in quibus vel pietas, vel necessitas, aut vtilitas, causa est talis alienationis, vt notant glossa & Doctores in c. nulli. de reb. Ecclesiæ non alienand. Tamen pro illis casibus, in quibus talis alienatio licet, verum est in Authenticis citatis inueniri specialem formam seruadamin alienatione rerum Ecclesiasticarum, quam multi Doctores censent semper fuisse seruandā, quia erat canonizata, 10. q. 2. c. 2. At verò licet Gratianus ibi eam inseruerit, non sequitur esse canonizata, vt constat ex materia de legibus; & ideo plures Canonistæ censent neque esse, nec fuisse semper necessariam formam illius authenticæ seruare: de qua re videri potest glossa in cap. 1. de reb. Ecclesiæ non alienand. in 6. Glossa, Pan. & alij in c. nulli, extra eodem titulo. & Rebuffus in tractat. de alienatione rerum Ecclesiasticarum. n. 2.

Omissis ergo similibus legibus, per iura canonica specialis solennitas postulat, sine qua Prælati Religionis nequit bona immobilia aut mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, &c. cum illa alienare potest, nulla habita ratione aliarum conditionum, etiam si per ius ciuile requiratur, vt tradit prædicti Doctores, & Innoc. in c. 1. de reb. Ecclesiæ non alienandis in 6. Panor. in cap. in present. de probat. num. 28. Et ratio facta conuincit, quia hæc materia Ecclesiastica est, non ciuilis. Primo autem fundatur necessitas huius formæ seu solennitatis in c. sine exceptione 12. q. 2. quod à Gratiano tribuitur Leoni Papæ in epist. ad Episcopos Sicilia, non citat autem numerum epistolæ inter epistolas autem Leonis primi, solum quarta est ad Episcopos Sicilia, in qua hoc caput non habetur. Neque in tomis Conciliorum inter opera eius refertur. Vnde non mihi constat an fuerit Leonis I. vel alterius, quia neque à Gratiano notatur. Neque inter decreta vel gesta allicuius Pontificis Leonis vocari illud inuenio. Vt autem in Gregoriano Decreto aduertitur, alij referunt illud caput ex Leone in Concilio apud Valentias, vel ex Concilio Carthagin. IV. sed in nullo Concilio ex Valentinis, quæ habemus, illud c. habetur; in Concilio autem Carthagin. IV. can. 30. ita legitur. *Ut Episcopus rebus Ecclesiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur.* Et c. 32. subiungitur, *I rita erit donat. o Episcoporum, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiæ, si sit sine conuentu, & subscriptione clericorum.* Quæ verba habentur in vltima parte illius capituli, sine exceptione, & in cap. 1. de his quæ fiunt à Prælati, &c. vbi tribuuntur Conc. Valent. Cuiuscunque igitur authoris fuerit illud decretum, certum est esse authenticum, & formam in eo præscriptam, esse necessariam, ex vi iuris communis, prout nunc loquimur.

Plura autem sunt quæ in illo capite requiruntur. III. Primum est, causa, quæ explicatur his verbis, *nisi forte aliquid horum facias, vt meliora prospicias.* & infra, *dicto vt sub quod non sit dubium prefuturum Ecclesiæ.* Sub quibus verbis comprehenduntur quatuor cause, quæ ab authoribus numerantur, vt videre licet in Panormitano, & Rebuffo supra ex Glossa in Summ. 12. q. 2. Prima est necessitas, quæ à fortiori comprehenditur sub vtilitate. Secunda est vtilitas, quæ solet etiam appellari necessitas, vt Philosophi dicunt, ad melius esse, & ita existimo quoad hæc duo capita iura indifferenter loqui, vt patet ex dicto c. sine c. si. tit. c. non habenti. 12. q. 2. & cap. vi. super. de reb. Ecclesiæ non alien. & in Authen. Hoc ius. Cod. de Sacros. Ecclesiæ. 10. q. 2. Tertia causa dicitur esse quando res est incommoda Ecclesiæ, c. terrulas. 12. q. 2. & cap. fugitiui. de reb. Ecclesiæ non alien. Sed hæc quid est nisi quædam vtilitas? Si enim rem vtilem pro vtiliori comutare magna

II. Solennitas Religionis nequit bona immobilia aut mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, &c. cum illa alienare potest, nulla habita ratione aliarum conditionum, etiam si per ius ciuile requiratur, vt tradit prædicti Doctores.

III. Prima causa est necessitas, quæ à fortiori comprehenditur sub vtilitate. Secunda est vtilitas, quæ solet etiam appellari necessitas, vt Philosophi dicunt, ad melius esse, & ita existimo quoad hæc duo capita iura indifferenter loqui, vt patet ex dicto c. sine c. si. tit. c. non habenti. 12. q. 2. & cap. vi. super. de reb. Ecclesiæ non alien. & in Authen. Hoc ius. Cod. de Sacros. Ecclesiæ. 10. q. 2. Tertia causa dicitur esse quando res est incommoda Ecclesiæ, c. terrulas. 12. q. 2. & cap. fugitiui. de reb. Ecclesiæ non alien. Sed hæc quid est nisi quædam vtilitas? Si enim rem vtilem pro vtiliori comutare magna

C A P V T XXVII.

De potestate predictæ administrationis immobilium, iuxta posterius ius Canonicum.

I. Diximus præcedenti capite de hac potestate iuxta antiquum ius commune; nunc iuxta posterius agendum. Dico ergo: Potestas administrandi bona Religionis, nunc etiam, stando in iure communi, eadem est in prælato regulari, excepta solum restrictione quæ iure Canonico adiecta est, quoad alienationem aliquorum bonorum. Probatur prima pars, quia ab antiquo iure non recedimus, nisi quatenus per posterius immutatum est, sed nullum inuenitur nouum ius commune seu Pontificiū quod potestatem hæcenus explicatam amplius restringat, ergo. Minor quoad negationem quā includit, probatur, quoniam neque in corpore iuris Canonici, neque extra illud extat lex in vniuersum aliquid circa hoc statuens, vel generaliter de Ecclesiasticis bonis, vel specialiter de regularibus, præterquam circa alienationes rerum immobilium aut pretiosarum, de quibus vt ad posteriorem partem assertionis veniamus, multa sunt antiqua decreta, quæ prohibent Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.